

16139.

DE  
EXTRACTO AETHEREO  
OLEOSO - RESINOSO.  
SEMINUM CINAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - PHARMACOLOGICA  
QUAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDI-  
CORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA  
DORPATENSIS

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR

CONSCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET

AUCTOR,

Guido M. Samson. de Mimmelstiern,  
*LIVONUS.*



---

DORPATI LIVONORUM.

TYPOIS J. C. SCHUENMANNI,

TYPOGRAPHI ACADEMICI,

MDCCXXXIV.

**IMPRIMATUR**

haec dissertatio ea conditione ut quum primum typis  
excusa fuerit quinque eius exempla collegio exploran-  
dis libris constituto tradantur.

Dorpati Livon. die xv. mens. Ianuarii MDCCXXXIV.

**DR. HENR. RATHKE,**  
*Ord. Med. h. t. Decanus.*

D 17410

**CAROLEO HERRMANNO  
SAMSON  
DE HIMMELSTIERN**

*AB RARIIS FIDIBI PARTIS ESTHONICAE LIVONIAE TU-  
ENDAE CAUSA INSTITUTI PRAESIDI ETC.*

**PATRI OPTIMO CARISSIMO**

**PIE COLENDΟ**

**FILIUS.**

## L. B.

Cum jam in eo essem, ut, concedente amplissimo hujus universitatis literarum ordine medicorum, ad impetrandum doctoris medicinae honorem dissertationem conscriberem, medicus practicus quidam hujus provinciae experientissimus de commentatione ephemericibus medicis cl. Hufelandi <sup>1)</sup> a Dr. Schupmanno inserta, remedium novum, extractum aethereum seminum cinae ad lumbricos et ascarides expellendos proponente, certiores me redditum, auctorem hoc medicamentum propter varias virtutes omnibus remediis antea ad hunc finem adhibitis longe praeferre asserens. Bene animo perpendens, medicamenta hucusque usitata non raro vel actione certa carere, vel varia incommoda adferre aegrotis, non alienum a materia disser-

---

<sup>1)</sup> *Hufeland Journal der pract. Heilkunde* vol. LXX. fasc. 1. p. 132.

tationis esse putavi, efficacitatem novi  
hujus remedii, in terris exteris parum  
adhuc, apud nos vero plane nondum  
adhibiti, experimentis tentare, eoque  
plus ad consilium hoc exsequendum  
stimulabar, quo magis sperarem fore,  
ut cum remedio in dissertatione Dr.  
Erdmanni <sup>2)</sup> denuo contra taenias pro-  
bato et commendato, aliud forsitan com-  
parare possem, quod per illi judicaret-  
ur, eodemque modo tuto, cito et ju-  
cunde ageret ad tollendas alias et cre-  
briores forsitan generis humani vexatio-  
nes. Rogo te, L. B., ut benigno at-  
que indulgente animo recipias, quae  
hisce pagellis commiserim, praecipue  
vero observationes in fine earum allata-  
tas, quas, tempore urgente rebusque  
aliis consilio meo adversis, non eo mo-  
do a me tractatas et institutas esse, quo  
judex eruditus ac criticus postulare pos-  
sit, — ingenue confiteor.

---

2) *Dissert. de extr. resinoso filic. mar. Dorp,*  
*MDCCXXXIII.*

---

## INTRODUCTIO HISTORICA.

Semen Cinae (syn. Zinae, Sinae, Chinae, Zedoariae, contra vermes, lumbricos, sanctum, santonicum, Sementina<sup>3</sup>)) antiquissimum est remedium. Veterum enim et nostrum semen Santonicum unum idemque esse tum plantarum, quae id proferunt, cum ef-

---

3) v. Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften von Gräfe, Hufeland, Link, Rudolphi. Vol. 3. p. 308.

Not a. Link in libro allato nomen „semen cinae“ a „Sementina“ derivat; et „Sementina“ germanice „kleiner Saame“ vertit, vocem graecum τυτός, τύνος in animo habens, uti videtur. Forsan vox „sementina“ potius à „semen“ et „tinea“ derivari licet, qua ex causa etiam Sementina, non Sementina ut plerumque fit, dicendum esset. Non omni verisimilitudine caret, nomen „Santonicum“ loco „Seriphium“ pro semine orientali habitum esse, et quidem propter similitudinem cum „semen sanctum“; semen sanctum vero appellatum est temporibus posteris, quia ex Palaestina praecipue nobis afferebatur. „Semen Zedoariae“ ex simili cum radice Zedoariae odore explicare possumus.

fectnum ejusdem in corpore organico descrip-  
tio ab antiquis v. c. Dioscoride, exhibita,  
demonstrat.

Dioscorides <sup>4)</sup> species varias absin-  
thii plantas maternas habet. Affert remedi-  
um sub nomine absinthii s. eriphii s. ma-  
rini ex monte Tauro in Asia minore, atque  
ex Aegypto, contra lumbricos et ascarides  
agens; — affert etiam absinthium san-  
tonicum e Galliae alpibus finitimae, regi-  
one Santonica (hod. Saintonge), idem effi-  
ciens. Descriptio harum plantarum phar-  
macognostica parum accurata hisce verbis a  
Kühni traditur: „est autem herba (abs. se-  
riphium nempe) gracilibus ramulis, abrota-  
no parvo similis, seminibus referta, exilibus,  
amaricans etc.“ Abs. santonic. paululum  
modo discrepare a seripho contendit, di-  
cens: „neque tamen seminibus adeo fecun-  
dum, subamarum tamen etc.“ Praeterea  
propter varias virtutes medicas abs. pon-  
ticum affert (quae nunc artemisia absinthiu-  
m vocatur <sup>5)</sup>). — Pro materia in abs. seri-  
phio et santonico maxime et praecipue agente  
principium amarum harum plantarum habere  
videtur <sup>6)</sup>. — Actionem generalem esse di-  
cit „stomacho inimicam et cum quadam ca-  
lefactione adstringentem;“ praeterea contra  
vermes eas agere, contendit eoque quidem

---

4) *De mat. med. Lib. III. Cap. 27. 28. ed. Kühn.*

5) Billerbeck *flora classica.* Lpz. 1824, p. 213.

6) *Cap. 27. l. c.*

modo, ut necentur ac deinde expellantur. Propinat autem remedium sub forma electuarii cum melle, oryza, vel cum sapo et lenticula cocta. — Plinius <sup>7)</sup> quoque tria absinthii genera habet, santonicum, ponticum, et marinum; quod, probatissimum in Taposyri Aegypti quosdam Seriphium vocare (cap. 29), notat; descriptionem pharmacognosticam vero negligens, quod actionem attinet, Dioscoridis fere verba repetit: „Angustius, dicens, priore, minusque amarum, stomacho inimicum, alvum mollit, pellitque animalia interaneorum.“ — Galenus <sup>8)</sup> easdem absinthii species, quas Dioscorides, enumerat, plantas vero non describens, ad verba Dioscoridis provocat, attamen principium amarum esse substantiam vermes necantem planius verbis exprimit, dicens: „porro quod lumbricos interimat, par est, nimirum quum sit amarum.“ — Alii auctores veteres <sup>9)</sup> qui de absinthio mentionem faciunt, praecipue de abs. pontico tantum egisse videntur, de qualitate amara solum disserentes.

Remedium hoc jam antiquissimis temporibus in terris orientem versus sitis, adhibitum, medio saeculo decimo quinto ad nos

---

7) *Hist. natur. XXVII. 28. 29, XXXII. 31. ed. Franz.*

8) *De simpl. medic. fac. lib. VI. cap. 1. ed. Kühn*

9) e. g. *Theophrast. h. pl. IX. 18. Isidor. XVII. 9. v. Billerbeck l. t.*

pervenit <sup>10)</sup>, cui sententiae adsentitur Spielmann <sup>11)</sup>, primum illud latinobarbaris notum fuisse contendens. Ab illis inde temporibus semina cinae usque ad nostros dies remedium fuerunt principale anthelminticum. Recentiori vero tempore demum indolem pharmacognosticam et chemicam accuratius perscrutati sunt.

---

## PARS-PHARMACOGNOSTICA.

Semina Santonica veteribus dicta cl. Batka flores fuisse contendit plantarum apud nos sub nomine Artemisiae judaicae et incultae L. notarum <sup>12)</sup> quamquam omnes ferre auctores ea derivabant ab Artemisia santonica et judaica L. <sup>13)</sup>. Nunc distinguunt horum seminum genera quaedam, variis plantis tributa. Secundum cl. Dulk <sup>14)</sup> et Batka (l. c.) duo genera tantum distinguenda sunt: 1) semen cinae levanticum s. alexandrinum s. aleppicum, de quo praecipue agendum erit, quia ex eo remedium nostrum infra afferendum paratur. Cl. Treviranus, Nees ab Esenbeck et alii consentiunt, semen

---

<sup>10)</sup> Martius *Grundriss der Pharmacognosie des Pflanzenreichs.* Erlangen 1832 p. 267.

<sup>11)</sup> *Anleitung zur Kenntniss der Arzneimittel* Strasburg 1785 p. 254.

<sup>12)</sup> v. Brandes *Archiv XIX.* p. 60.

<sup>13)</sup> Billerbeck l. c.

<sup>14)</sup> *Pharmacopoeia boruss.* Tom. I. p. 338. seqq.

hoc originem ducere ab *Artemisia* contra L. syst. sex. cl. XIX ord. 2 *Syngenesia* superflua; ordo natur. *synanthereae* Rich., cuius patriam Persiam terrasque ei proximas notant. *Caulis* fruticosus, in ramos longos divisus est, versus apicem ramulis brevibus, numerosis, floribus dense obtectis. Folia desunt inferiori caulis parti; in superiore vero fasciculata, minima, longitudine duarum vel trium linearum et ejusdem fere latitudinis, pinnatim divisa, glauca exstant. Flores fasciculati sessiles et in ramulis aggregati. Calyx communis s. anthodium constructum e squamis decem vel quindecim ovatis, obtusis, levibus, concavis, imbricatis, adpressis, margine membranaceis glabris, dorso glandulis flavis instructis ita, ut materia resinosa nitida obtectae appareant squamae <sup>15</sup>). In unoquoque anthodio tres vel quatuor includuntur flosculi tubulosi et flosculi tres vel quatuor imperfecti corolla destituti. Flores descripti illud constituunt genus seminum *cinae*, quod sub nomine *levantici* s. *aleppici* s. *alexrand.* nobis notum. Semen *cinae* in granis dicuntur flores diligenter electi; magis minusve enim impurum esse solet, cum pulvere cinnereo, terreno, pedicellis fractis et foliolis scariosis multis, probabiliter squamis calycinis vel etiam cum particulis quarzi concharumque et seminibus *Panici miliacei* commixtum <sup>16</sup>). Prout longius vel brevius tem-

---

<sup>15</sup>) *Martius l. c. p. 268.*

<sup>16</sup>) *l. c.*

pus post collectionem praeterit, colorem viridefuscum sive flavovirentem habent, odore peculiari, forti, ingrato, aromatico, odori radicis Zedoariae simili gaudent magis tamen camphoraceo et sapore paululum aspero, aestuante, aromatico, attamen ingrato et amaro. Sub mandicatione sensus calefactionis cum subsequente refrigerationis ut in *mentha piperita* percipitur.

Ex descriptione elucet, granulis his non jure nomen seminum tribui, accuratae perscrutationis et analysis enim ope invenire possumus calycem squamosum et flosculos tubulosos; sunt ideo semina *cinae* flores imperfecti pedicellis perscissis intermixti.

Prof. delle Chiaje <sup>17)</sup>, semen *cinae* levanticum perscrutans duo invenit genera. Semina ibi saepissime occurrentia ad novam pertinere contendit speciem artemisiae, cui speciei Kunze nomen Artem. Chiajeneae tribuit <sup>18)</sup>. Planta etiam fruticosa, ramos numerosos, virgatos, erectos, striatos, tomento tenui tectos, foliis sessilibus sparsis linear-lanceolatis instructos, cum floribus erectis sessilibus, et squamis ovatis tomentosis habet. Planta haec levantica suaveolens; flores imprimis odore et sapore radici Zedoariae simillimi. — 2) Semen *cinae* barbaric. s. indic. s. africanum. Genus hoc maxima ex parte frustulis pedicellorum

---

<sup>17)</sup> *Salzb. medic. Zeitung.* 1824. p. 333.

<sup>18)</sup> v. Martius l. c.

incano-tomentosorum consistit atque ex gemmis floriferis minimis inexplicatis fere globosis, non nitidis, viridibus vel sordide flavo-fuscis. E pigmento color hic non pendet secundum cl. Martium <sup>19)</sup>). Planta materna secundum cl. Sieberum Artemisia glomerata Sieb., cui sententiae accedunt etiam cl. Treviranus et Dierbachius <sup>20)</sup>.

Qui tria assumunt semen cinae genera, distinguunt in genere sub 2) descripto semen cinae indicum sive ostindicum et semen cinae barbaric. s. africanum s. americanum, ut praecipue Martius. Secundum Martium prius multo ponderosius, colore viridi vel sordide flavo-fusco; flores sunt minores, globulo similiores, non nitidi; inveniuntur simul multae squamae calycinae parvae et pedicelli fracti et diminuti admixti. Ope microscopii non apparet nitidum et cum difficultate tantum cognoscitur integumentum tenue et griseum. Wackenroder semen cinae indic. et barbaricum quoque distinguens nomina mutat, supra descriptum appellat barbaricum, et a Martio nomine barbarici dotatum denominat indicum. Planta materna secundum Wackenroderum Artem. in-culta Del.

Genus tertium Martii, semen cinae africanum s. barbaricum s. americanum habet flores rariores, colore sordide glau-

---

19) L. c.

20) Dulk L. c.

co flavescente, odore peculiari semini cinae proprio et sapore aromatico dulci, camphoraceo sed in minori gradu. Sub microscopio particulae florum et pedicelli iis intermixti villis brevibus tenuibus raris tecta apparent. Genus hoc semper jam mature colligi videtur, quia nunquam flores evoluti inveniuntur in eo. Etiam huic generi seminis cinae arena, conchae etc. admixtae esse solent. Planta materna secundum Wackenroderum, qui hoc genus ostindicum vocat, est Art. glomerata Sieb.

Batka <sup>21</sup>) duo tantum statuit genera, semen cinae levanticum et barbaricum, non nisi a mercatoribus distincta, conjungens, atque sub nomine seminis cinae indicij flores veteres et fuscos, sub nomine barbarici vero recentes et virides vendi contendens.

Semen cinae commutari dicunt cum floribus nondum evolutis Artemisiae campestr., Santolinaeque Chamae-Cyparissidis. Etiam fructus Bunii coptici, plantae e familia umbelliferarum seminibus cinae admixtos videbunt. Batka fructus alias adhuc plantae umbeliiferae in iis reperiebat, quos Dierbach pro semine Adiowaïn, prioribus usitato temporibus, a Ligustico Ajawaïn Roxb. derivato habet <sup>22</sup>), Martius vero (l. c.) ab Ammi Visnaga Lam. derivat. Fructus Tanaceti vulg. et Tanac. balsamitae interdum nomine

---

21) vid. Brandes Archiv XIX. p. 60. Tromsd.  
n. I. XV. 2.

22) Dulk l. c.

seminis cinae hungarici venduntur. Summitates florentes Anabaseos tamariscifoliae L. habitu externo magnam similitudinem habere cum seminibus cinae et in Hispania nomine Chouan contra vermes adhiberi dicunt. Commixtione trium horum generum seminum cinae supra adumbratorum diversissima genera seminum cinae formari posse ostendebat Wackenroder.

---

## PARS CHEMICO - PHARMACEUTICA.

In animo non habeo, hacce in parte dissertationis meae analyses chemicas augere vel novas addere; id tantum recipiam et afferam, quod jam a priori ad cognoscendam substantiam seminum cinae efficacem eodemque modo ad efficacitatem remedii nostri explicandam conferre possit, quo consilio cl. Tromsdorfi analysi chemica, quae aptissima mihi visa est, usus sum.

Semina cinae recentiori tempore demum analysi chemicae subjecta sunt. Cartheuser<sup>23)</sup> et Neumann<sup>24)</sup> tantum de extracto aquoso et spirituoso parandis agunt. Cartheuser aquam ex seminibus paravit graviter olen-tem, olei aetherei vero ne minimam quidem

---

23) mat. med. Tom. II. p. 333—343. v. Tromsd.  
n. I. III. 1.

24) Chymie Tom. II. 2. cp. 2.

partem invenit; etiam Wedel ex libra una vix et ne vix quidem vestigia aliqua olei.aetherei accēpit<sup>25)</sup>. Cl. Tromsdorff<sup>26)</sup> primus semina cinae levant. optimae qualitatis analysi exactiori subjecit. Liceat mihi de agendi et experimenti hujus instituendi ratione Tromsdorffii, verba facere, breviterque illam exponere<sup>27)</sup>: Primum oleum aethereum per destillationem seminum cum aqua extrahebatur, colore tinctum erat ex albo flavescente, odore penetrante seminum simili, camphorae vero propinquiore, sapore amaricante et acri, initio calefaciente, deinde refrigerante, levius aqua, maxime volatile, et aethere et alcohole facile solvendum, quum aquae unciae duae non nisi guttam unam exciperent. — Alcohol usque ad 95% concentratum tincturam extraxit prasinam, grave olentem, gustui ingratam. Alcohole evaporato massa remanebat mollis e viridi nigricans, quae cum aqua destillata cocta colliquescens partem resinosam olei instar in vasis fundo depositi, aqua ipsa colore viridi se tingente. Resina illa prasina margines ostendebat pellucidos itemque fila tenuia ejus pellucida erant; praeterea rigida, facilis contritu, sopore paululum acri, non

---

25) *Tromsd. l. c.* — *Fechner Resultate der bis jetzt unternommenen Pflanzenanalysen.* Lpz. 1829. p. 3.

26) *l. c.*

27) cf. *Dulk l. c.* p. 338.

vero aspero, saporem seminum imitante, aethere porro, alcohole, lixivia kalina caustica, liquore ammoniaci caustico, oleo roris marini et menthae piperitae solubilis, non vero oleo terebinthinae et olivarum. Substantia illa ex extracto spirituoso ab aqua recepta post partium aquosarum evaporationem colorem habebat subluteum. e viridi, nullum odorem spargebat, saporem praebens acrem, amarum, paululum salsum, ex atmosphaera partes humidas arripiebat, aethere insolubilis, alcohole et aqua dissolubilis inveniebatur, plumbo acetico, hydrargyro nitrico oxydulato et stanno chlorico praecipitabatur, ferro muriatico turbida siebat colorem induens e cano viridem, ferrumque sulfuricum oxydulatum viridem etsordidum colorem ei praebebat. Habenda erat ideo pro substantia quadam extractiva peculiari cum oxydo calcii malico conjuncta, quod oxydum ope kali oxalici cognoscebat. — Ex parte seminum nunc residua colore viridi jam privata, lutulenta et cana, ope aquae frigidae substantia extractiva gummosa extrahebatur cum oxydo calcii malico conjuncta, cuius maiorem etiam partem aqua bulliens solvebat. Lixivia kalina caustica tum adhibita aliam substantiam extractivam ostendebat, ab antecedente haud multum discrepantem. — Remanebant insuper partes lignoso-fibrosae.

Substantias seminum principales easque praecipue proprietates nunc comparabo, quae ad remedii nostri infra afferendi elementa ejusque efficacitatem probanda necessariae

Erant: In 500 partibus seminum cinae bene exsiccatis invenit cl. Tromsdorff: 1) olei aetherei partes 4, 0, ex quo oleo odor praecipue, et ex parte vis etiam anthelmintica pendere videtur, experientia enim docet, semina cinae odore privata parum tantum agere; — 2) resinae oleosae prasinæ 55,0 quae resina ab aliis facile distinguitur, quia nec in oleo terebinthinae nec oleo olivarum solvitur. Resina et oleum alcohole solvuntur, facilius vero aethere, praeterea odore et gustu gaudent seminum ipsorum, austero et aspero eorum sapore carentia; — 3) substantiae extractivæ peculiaris cum oxydo calcii malico conjunctæ 105,0 quae subst. extr. aethere insolubilis, alcohole et aqua facile solvitur et seminibus saporem illum amarum asperum et ingratum praebet; — 4) subst. extr. gummosæ 180,0, neque aethere nec alcohole, aqua vero et frigida et tepida maxime dissolubilis, nullo sapore praeditæ; — 5) subst. extr., lixiviae kalinae causticae ope excretæ 100,0, quae eodem modo solvitur quo antecedens, pariterque saporis expers est: — 6) partium lignearum et fibrosarum 60,0 quarum in cinere kali carbonicum, sulfuricum et muriaticum, oxydum silicij, oxydum calcii phosphoricum et carbonicum inveniebantur.

Secundum Wackenroderum <sup>28)</sup> partes

---

<sup>28)</sup> vid. Geiger's Mgz. 1827. p. 170. Fechner  
l. c.

100 seminum cinae levant. continent partium  
humidarum 7, — olei aetherei 0,39; — cerini  
0,35; — substantiae resinosa pecularis fuscæ  
et amarae 4,45; — resinae balsamicæ  
acris et aromaticæ 6,05; — substantiae resi-  
nosa pecularis cum kali sulfurico et muri-  
atico et cum kali malico et calce malico com-  
mixtae 20,25; — substantiae extractivæ gum-  
mosæ 15,50; — ulmini ope lixiviae causticæ  
inventi 8,60 (idem verisimiliter est cum subst.  
extr. a Tromsd. ope lixiviae extracta); —  
partium lignearum 35,45; — calcis malici cum  
oxydo silicij et substantia vegetabili 2,00;  
— partium alienarum terrenarum fortuito  
admixtarum 6,70; — jacturae 0,65. — Semen  
cinae aëre exsiccatum cineris relinquit 10 par-  
tes centesimas, kali muriatici, sulfurici et car-  
bonici 1,50, — calcis, magnesiae, oxydi Sili-  
cii, alumii et ferri 8,60 continentes.

Eadem fere elementa Wackenroder in  
semine cinae barbarico invenit (ab illo sub  
 nomine seminis cinae ostindici allato); —  
olei aetherei vero minorem quantitatem.

Mentionem adhuc faciam necesse est  
nonnullarum substantiarum nuper in semini-  
bus cinae inventarum, quarum cognitioni  
ansam dedit extractum aethereum seminum  
cinae primum a pharmacopola Lehn paratum,  
de quo infra. Uno eodemque fere tempore  
Kahler pharmacopola Duesseldorfensis, et  
Alms cand. pharm., extractum aethereum se-  
minum cinae parantes, substantiam invenie-  
runt crystallisatam, cui nomen tribuerunt

„Santohini“ vel „Santonicini“<sup>29)</sup>). Consentiant, utro eam separata esse ex extracto in retorta chemica parato cuius parietibus adheserit. Postea etiam Oberdörffer pharmacopœia Hamburgensis observationem allatum experimentis stabilivit<sup>30)</sup>; exactius jam substantiae novae natura exponitur in Buchneri repertorio<sup>31)</sup>, de qua breviter hic agam: crystalla Santonicin nominata stellarum formam præ se ferentia componuntur acibus congregatis pellucidis, sericeis, splendentibus, colore stramineo tinctis; — reagentibus chemicis perquisiti neque alcalicam neque acidam indolem ostendunt; aethere et alcohol, tepido praecipue, facile solvuntur, liquore ammoniaci caustico ope caloris tantum, — aqua plane insolubilia; — cum acido muriatico fere conjungi omnino non possunt; — nec odore nec sapore gaudent; — luce solis color eorum stramineus augetur; magno calore inflammantur et comburuntur. Ex his allatis, Santonicinum illis adnumerandum esse substantiis constat, quas chemia „Subalkaloides fixas“ nominat. — Kahler et Oberdörffer<sup>32)</sup> nuper acidum etiam invenerunt, aetherem in extr. aethereo seminum cinae remanentem aqua fervida expellentes, qua in aqua post breve tempus resinae variae aethere antea solutae segreg-

---

29) Brandes Archiv 34, 3.

30) I. c. 35, 2.

31) Repertorium für Pharmacie. 38, 1, 2.

32) Brandes Archiv I. c.

gantur, acidum vero illud solvit naturam  
prae se ferens crystallabilem, cum kali sal-  
formans quod etiam crystallisari potest. —  
Alia substantia quoque nobis, de extr. aeth.  
seminum cinae parando agentibus, resinas  
elasticae (Kautschuk) similis ab Oberdörffero  
inventa occurret.

Chemicis quaestionibus de seminibus  
cinae nunc jam allatis, restat de formis va-  
riis pharmaceuticis hujus remedii nonnulla  
adficere, ut melius comparari possit efficac-  
ia formae a nobis afferendae cum aliis jam  
prius notis. Fere semper in substantia porri-  
gebantur semina cinae vel electuariis admixta  
ut jam apud veteres (v. supra), vel in pulverem  
rudem redacta, qua sub forma mechanice  
etiam agere dicuntur <sup>33</sup>); — praeterea in alias  
formas rediguntur, aliaeque substantiae ius-  
dem admiscentur vel ad efficacitatem eorum  
augendam e.g. remedia anthelmintica (cort.  
ext. nucum jugl., sem. tanac., ferr. sulfurio..  
etc.) et purgantia (rad. jalapp., merc. dulc. etc.);  
— vel ad incommoda alia simul evitanda,  
quae ex constitutione aegrotorum singulari  
habituque corporis debiliore aut validiore  
pullulare possint, ut remedia tonica (cort.  
aur., casc., calam., etc.) sive antispasmo-  
dica (valer. etc.). Non raro semina cipae  
aqua aut vino infunduntur, quae infusiones  
minoris efficacitatis <sup>34</sup>) infantibus teneris et  
debilibus commendantur — aut ad celandum

33) Bremser über lebende Würmer etc. p. 151.

34) Richter spec. Arzneimittellehre III. p. 156.

odorem et saporem (parvulis plerumque tam ingratum ut ipsis nonnunquam ea ingerere nequeamus) in formam trochiscorum, confectionis cinae, electuarii rediguntur. Ex quo elucet addendum saepe esse aliquid et ad efficacitatem actionemque certiorem imptrandam, et ad naturam physicam mutandam, sed imperfectos esse hos conatos maxima ex parte, nemo negabit, si perpendat, remedia v. c. efficaciae majoris causa admixta ut purgantia et alia anthelminthica nonnullis in casibus hunc ad finem assequendum necessaria, tubo cibario inimica debilitatem ejus relinquere, in infantibus vero teneria imbecillibusque omnino non adhibenda esse, quibus semina cinae per se jam detrimentum afferre possunt, praesertim quia sine remediiis adjuvantibus per longius tempus dari debent, — remedia vero saporem ingratum emendantia vel hoc non exequi v. c. excipientia varia electuariorum anthelminthicorum tamen saporem non abscondentia, — vel minus efficacia ea reddere ut confectionem et trochiscos <sup>33</sup>). Bene igitur meritus est pharmacopola lehn de omnibus qui vermis cruciantur, remedium novum, extr. aeth., ex seminibus cinae levanticis parans cui virtus illa allata non adhaerent; continet autem hoc remedium substantiam efficacem seminum cinae, sicut medicamen illud a cl. Pesciero ex radice filicis maris paratum parti-

bus tantum hujus radicis efficacibus constituitur. Hanc praeclaram vim medicam experimenta aliorum et mea ipsius infra afferenda probant.

Jehn hanc parandi methodum secutus est<sup>36)</sup>: inflandi jubet seminum cinae levanticorum contusorum uncias quatuor, aetheris sulfurici unciis sedecim; digerantur saepius agitando per dies tres vel quatuor; e colatira deinde facta aether usque ad quintam partem per destillationem removeatur. Residuum usque ad consistentiam extracti non admodum spissi leni calore (balneo aquae tepidae) evaporetur, et ad usum servetur. Colorem habet, ut affert, intensive prasinum, odorem penetrantem seminum cinae similem, saporem amaricantem et refrigerantem, aethere et alcoholē facile solvitus, minime vero aqua; conjungi tamen potest cum mucilaginibus.

Oberdörffer<sup>37)</sup> exactiorem et mutatam proposuit descriptionem de parando extr. aeth., et de iis quae hac occasione observavit, dicit: „Ich bereitete das aetherische Wurmsamenextract mittelst einer kräftigen Luftdruckpresse, indem ich 4 Unzen gepülverten Wurmsamen mit 16 Unzen Aether unter einem Luftdrucke von 3 Atmosphären extrahirte, und wurde der letzte Anteil Aether durch einige Unzen Wasser nachge-

36) *Hufeland Journ. 90. s. Buchner Repertor.*  
35. 3. s.

37) *Brandes Archiv 35. s.*

presst, wodurch die Tinctur schwach getrübt wurde. Die Trübung verschwand jedoch nach einer Zeit gänzlich, und zeigte die Tinctur nun eine bräunlich grüne Farbe, während am Boden der Flasche eine anfangs pulvrig scheinende, hernach sich verdickende extractartige Ablagerung sich bildete, von welcher sich der ätherische Auszug völlig klar absondern ließ. Aus dem dünnflüssigen extractartigen Rüchbleibsel sonderten sich als dasselbe in eine kleine Porcellanschaale gegossen worden, nach einiger Zeit grünlich ölartig scheinende Tropfen ab, die bei Behandlung mit kaltem Alcohol, welcher das aus Extractivstoff und wenig Harz bestehende Extract völlig löste zurückblieben und sich zu einer schwarzbraunen zähen Masse vereinigten die mit Wasser und Alcohol kalt und warm ausgewaschen, sich in beiden unauflöslich zeigte, von kaltem Äther nicht, schwer von kochendem, leicht und vollkommen jedoch von rectificirtem petroleum gelöst wurde, nach völligem Auswaschen eine elastische Beschaffenheit zeigte und sich dem zufolge wie Kautschuk verhielt. Aus dem längere Zeit hingestellten ätherischen Auszuge sonderte sich noch ein kleiner Antheil desselben auf gleiche Weise ab und betrug die Menge des sämmtlichen ausgewaschenen Stoff's 15 Gran — — — — Es wurden nunmehr von der erhaltenen Tinctur 8 Unzen Äther abdestillirt und der Rückstand einige Tage der Ruhe überlassen; er trübte sich und sonderte eine zähe, braune,

klebrigharzige, gegen 30 Gran schwere Substanz ab, die Alcohol nur grünlich färbte aber nicht von ihm gelöst wurde, sondern nur in kochendem Aether völlig löslich erschien. Sie verlor jedoch durch wiederholtes Kochen mit Alcohol ihre mehr zähe balsamartige Beschaffenheit nicht, und zeigte keine bedeutende Elasticität. — — — Es wurde der Aether noch bis auf andere 4 Unzen abgezogen und die so concentrirte Tinctur in einer Porcellanschaale an einem kühlen Ort der freiwilligen Verdunstung überlassen. Nach einigen Tagen zeigten sich in dem sich verdickenden Extract am Boden der Schale kleine Crystallgruppen, die mechanisch abgesondert und mit wenig Alcohol abgespült, gelbliche weisse Flittern darstellten. Aus dem Extract in welchem zwar noch Spuren von Crystallen wahrnehmbar waren ließen sich jedoch ferner bei dersich immer mehr verdickenden Consistenz keine solche mehr absondern und betrug die gesamte Menge der Crystalle 12 Gr. — — — Das Gewicht des erhaltenen Extracts betrug aus den angewandten 4 Unzen Wurmsamen 7 Drachm. und besaß dasselbe eine bräunlich grüne Farbe, den Geruch und kräftig aromatisch-bittern Geschmack des Wurmsaamens.“

A-Kahlero <sup>38)</sup> etiam methodus affertur hujus extracti praeparandi. re vera tamen

---

38) Brandes Archiv 34. 3. p. 318. et 35. 2.  
p. 217.

non discrepans ab illis quas commemoravi  
ideoque eam praetermittam.

Remedium nostrum, in pharmacopoliis  
dorpatensibus adhuc ignotum, nunc, ut ex-  
perimenta cum eo instituerem a pharmaco-  
pola perito hic Dorpati parabatur, ut nunc  
describam: seminum cinae levanticorum  
eximiae qualitatis unciae sex aetheris sulfu-  
rifici unciis viginti quatuor in vase vitro che-  
mico vesica postea obducto infusae lenique  
calore per dies tres digestae, tum colatae  
per aliquot tempus stabant donec tinctura  
aetherea pellucida fieret, qua deinde a sedi-  
mento separata et destillationi subjecta ae-  
ther cauto modo acquirebatur, in retorta  
vero remanens materia usque ad consisten-  
tiam extractorum consuetam in vase porcel-  
laneo evaporabatur. Ab initio usque ad fi-  
nem hujus tractationis dies quinque elapsi  
erant. Ex unciis seminum sex drachmae  
paratae erant sex extracti aetherei. Cry-  
stalla vero nulla secernebantur ex extracto  
esque ex causa ut mihi videtur, quia aethe-  
ris destillatio et evaporatio extracti breviore  
quam par erat tempore fiebat, majorque  
aetheris copia destillabatur, qua ratione ex-  
tractum cito consistentiam accepit spissio-  
rem separationem crystallorum impedien-  
tem; secundum methodum Oberdörfferi  
vero longiorem, qualem ad formanda cry-  
stalla opus esse etiam affirmat Martius <sup>39</sup>),

melius crystalla segregari poterant. Eadem ex causa minorem etiam extracti copiam accepimus, quam Oberdörffer. Doleo, Santonicum ipsum a me colligi et usu ejus experimenta in aegrotis institui non potuisse. Extractum ipsum consistentiae erat spissioris et tenacis, colore e viridi fusco, odore seminum cinae, eorumque sapore aromati-co-amaro non vero ingrato et aspero simul praeditum.

Nemo adhuc chemicorum, si recte memini, extractum hoc analysi subjecit, si vero ex partibus seminum cinae constituentibus earumque natura et in specie quidem e substantiarum variarum facultate solvendi singulares seminum partes, modo indirecto, quae sint partes extracti aetereis ope parati, concludere liceat, haec fere dicenda habeo: Cl. Tromsdorffii analysin seminum cinae exactius a me allatam cum Oberdörfferi methodo extracti nostri parandi narrata comparans, optima forsitan ad finem meum asequendum uterer ratione, nisi minus accurate Oberdörffer de rebus gestis disseruisset, tamen quantum ex hac comparatione concludere liceat afferam: secundum Tromsd. partes semina cinae praecipue constituentes sunt: oleum aethereum, ex quo seminum cinae odor peculiaris pendet, — resina oleosa, — substantia extractiva peculiaris cum calce malico conjuncta, — subst. extr. indolis gummosae, — subst. extr. ope lixiviae causticae separata, — partes lignosae et fibrosae, — quibus omnibus addenda

sunt; santoninicum et acidum santoninicum postea inventa. Oberdörffer dum extractum parabat nostrum, neque sedimentum substantiae extractivae comparandum, neque materiam resinae elasticae similem, neque substantiam fuscam viscidam (cum substantia extr. gummosa Tromsd. forsan conferendam) aethere solvi aut extrahi vidit; ex extracto vero, aethere jam destillato, santoninicum forma crystallorum segregabatur. Tromsd. aethere oleum aethereum tantum et resinam oleosam solvi contendit, ceteras vero partes constituentes alatas non solvi, quae cum iis fere comparari licet, quae Oberdörffer aethere non receptas esse narrat, etsi non tanquam rem certam h. dicam, Oberdörffero ipso substantias illas non diligenter a se examinatas esse, profitente. Praeterea in aethere solvitur santoninicum praecipue in calido, neq; semper ex extracto prodit si v. c., ut jam dixi, evaporatio nimis festinata eoque consistentia extracti brevi jam tempore spissior facta, quominus crystalla formentur et separantur, impedit. De acidi santoninici solvendi ratione experimentis nondum certiores facit, tamen aethere solvi id concludimus, quia, ut supra commemoravimus, ex extr. aeth. id paramus. Omnibus his perpensis, has substantias aethere extrahendas, extracto aeth. seminum cinae inesse debere, sequitur: oleum aethereum, resinam oleosam, acidum santoninicum et pro rebus santoninicium. Partes ergo principales respici-

ens nomen ei tribuerem: extracti aetherei  
oleoso-resinosi seminum cinae.

## PARS DYNAMICA.

Ut virtutes dynamicas remedii nostri accuratius exponere et illustrare atque comoda et incommoda ejus comparati cum seminibus cinae, (quippe quod remedium anthelminthicum efficacissimum ac praestantisimum hucusque jure habitum sit) examinare et componere possimus, de seminum cinae classificatione, effectuque et qua ratione adhibeantur, aliquid dicamus, necesse est, antequam de remedii nostri ipsius classificatione, effectu atque usu agamus.

Si utique licet, remedium aliquod secundum virtutes ipsius chemicas classi alicui adnumerare, quae classificatio, cum chemia magis magisque excolatur, fortasse aliquando maxime consentanea et perfectissima habebitur, non possumus, quin semina cinae secundum elementa in sectione antecedente exposita cum Heckero<sup>40)</sup> ad remedia aromatico-amara pertinere dicamus. Ex his elementis concludi etiam potest duplensem eorum esse effectum, volatiliter-incitantem et tonicum. Attamen, ut omnibus notum, hoc remedium minus propter illos effectus in usum vocatur, quam propter virtutem suam anthelminthicam contra lumbricos et

---

40) Pract. Arzneimittellehre. 1829. I. 283.

ascarides, quae eo manifestatur, quod vermes necantur et expelluntur. Nec raro tamen sine effectu adhibetur, ita ut ad alia remedia confugiendum sit <sup>41)</sup>). Contra taeniam non multum valet, in infantibus tamen adversus eam datum est et interdum quidem prospero successu <sup>42)</sup>). Alii principio amaro, alii volatili hanc virtutem praecipue adscribendam esse putant. Veteres principium remedii amarum maxime animadvertentes, hoc quoque vim anthelminthicam in se continere credebant. Cui opinioni nonnulli recentiores quoque adsentuntur, ut Voigt <sup>43)</sup>), qui dicit, in anthelminticis amaris amaritudinem in generali effectu primum locum obtinere. Alii ut Richter <sup>44)</sup> arbitrantur, vires remedii anthelminthicas praecipue positas esse in principio foetido quod oleo aethereo et resinae inest. Idem contendit Tromsd. <sup>45)</sup>), dicens, semina cinae, amiso odore, jam nihil efficere. Praeter effectus anthelminthicos caeteri etiam non sunt negligendi, qui seminibus cinae, ut remedio aromatico - amaro, producuntur. Tanquam remedium volatile in universum, cui remediorum classi propter oleum aetherium foetidum adscribenda sunt, in systema

---

41) Richter l. c.

42) Ibidem.

43) Lehrbuch der Pharmakodynamik. Vol. 1.  
p. 629.

44) l. c.

45) l. c.

nervorum et maxime etiam in sistema ganglionum agere et incommoda illa nervosa opprimere valent, quae helminthiasin saepissime comitantur. Tanquam remedium tonicum simul corrigere possunt conditio-  
nem asthenicam tractus intestinalis, quae praecipue secrezione, assimilazione ac motu peristaltico morbosis se manifestat, atque ad hoc efficiendum principio volatili maxime adjuvantur, quia hoc in torpore, qui ubi res ita se habent plerumque adest, effectui tonico viam faciliorem parat. Hinc intelligitur, non solum helminthiasin hoc remedio sanari sed etiam concomitantia vitia tractus intestinalis, atoniam tunicae mucosae in genere, muci accumulationem in intestinis, ventriculi aciditatem, aliasque hujus generis morbos chronicos et alienationem systematis ganglionum non minus facile et certe eodem, dummodo ratione justa adhibeatur, posse oppugnari. Anthelminthica amara in genere quidem non fortiter agunt in mutationem tunicae mucosae intestinalium, atque etiam satis facile concoquuntur, si tamen doses nimiae et frequentiores porrigitur, haud omnino noxa vacant <sup>46)</sup>; praeter indigestiones quas tum ut alia amara genera-  
re valent etiam sanguinis exagitationem, aestum et congestiones cum praecipua systematis nervosi affectione, vertiginem, oculorum scintillationem, aliaque ejusmodi incommoda producunt. Quare medicum apud

---

46) Voigt l, c.

infantes sensibles et maxime irritabiles cautum esse oportet. De diversis formis seminum cinae et de additamentis quibuscum porrigitur, ut sapor melior fiat, efficacia augeatur vel alia consilia secundaria attingantur v. c. ut incommoda nervosa vermium stimulo provocata sedentur, vel debilitatus tractus intestinalis et digestio simul roborentur, jam supra breviter, quae necessaria videbantur, attulimus.

Restat, ut paucajde dosibus et de ratione adhibendi hujus remedii addamus. Apud infantes sex grana seminum cinae statuta sunt ut **dosis minima**, quae secundum aetatem usque ad drachm. dimidiam augenda est. Adultis doses drachmae unius vel etiam **majores** porrigitur. Haec dosis, quacunque in forma remedium praebeatur, plerumque saepius repetenda, bis quaterve quotidie et saltem per plures dies, non raro nonnullas hebdomades deinceps adhibenda est, ut effectus sequatur, nam omnes scriptores consentiunt, magnas doses quibus cura brevi tempore absolvi possit, facile habere effectus simultaneos nocentes, cum vim noxiā in ventriculum exserant, et vasa nervosæ praesertim in infantibus debilibus vehementer incident<sup>47)</sup>. Saepe vero medicus quamvis hujus medicaminis usus diu continuatus sit, tamen coactus est ad alia remedia confugere, ut consilium optatum, verium exturbationem, assequatur v. c. alia

---

47) Richter l. c. p. 157.

anthelminthica adhibere, aut, quod plerumque necessarium est, post hoc medicamentum purgantia drastica in usum vocare, quae minime accomodata sunt tenerae constitutioni infantum, quippe qui frequentissime vermis laborent, neque organis digestionis debilitatis, quae in helminthiasi semper reperiuntur. Etiam si vero medico contingat ut solo usu seminum cinae vermes expellat, minime tamen est negligendum, jam continuatum hujus medicaminis usum, incommodis conjunctum esse. Quamquam enim vires tonicae seminum cinae statum asthenicum tractus intestinalis tollentes causam primariam generationis vermium simul delere valent — quod ad praecipua seminum cinae commoda refertur — irritantes tamen remedii effectus et sequelae, quas principiis aethereo - oleoso - resinosis illud producit, deterrire nos possunt, quominus illud ad vermes exturbandos adhibeamus, praesertim cum tantummodo usu diutius continuato effici possit. Atque etiamsi usu ejusmodi vermes removere nobis succedat tamen helminthiasis ipsa non tollitur (nam ut hoc fieret, etiam diutius continua da esset cura, quod periculum adduceret) sed semper etiam alia remedia medica et diaietetica ad curam secundariam adhibenda sunt, si curam radicalem esse volumus. Semina cinae igitur semper modo medicamen praebent, quod **Imagis** palliative ad vermes expellendos aptum est, minime vero ad curam helminthiasis radicalem efficiendam. Itaque sane optandum erat, ut remedium reperiatur contra vermes, quod sine addi-

tamentis certius celeriusque ageret, commodius assumi posset, et effectus secundarios nocentes non haberet, — etiamsi post ejus usum ad oppugnandam propriam vermium intestinalium causam, muci nempe accumulationem in tractu intestinorum et astheniam hujus organi, alia remedia medica et diabetetica adhibere cogeremur, quae tamen sine damno agerent in infantes, et sub aliis quoque conditionibus in astheniis ejusmodi probata essent. Maxime enim respiciamus necesse est, infantiles plerumque esse organismos, contra quos methodi nostri anthelminticae diriguntur, cum in iis helminthiasis omnium morborum frequentissimus sit et incommoda plurima ac pessima secum ducat.

Medicamen ejusmodi vero in extracto aethereo seminum cinae repertum esse arbitror. Si hoc quoque secundum proprietates chemicas classi alicui adscribere volumus, equidem ad balsamica illud referrem, ut massam compositam e resina et oleo aetherreo, quae ut supra vidimus elementa ejus praecipua sunt. Amaritudo, illi et maxime quidem principio resinoso propria (v. supra), non est adscribenda principio peculiari, nominatim non principio extractivo, cum hoc in seminibus ipsis quidem, minime vero in extracto aeth. reperiatur, sed resinae ipsi, ut etiam aliae resinae v. c. terebinthinae, peculiarem amaritudinem possident (quam in principio extractivo positam esse non necesse est) etsi minus fortē quam resina seminum cinae. Summo jure autem huic resinae vires tonicae vindicandae esse videntur, tam secundum aliorum amarorum analogiam,

quam quia tonice agunt semina cinae ipsa quibus haec resina odore et sapore omnino par est, eo tantum discrimine, quod extr. aeth. non simul habet saporem illum austernum, ingrate amarum, qui in principio extractivo peculiari seminum cinae situs, ab extr. aeth. non est receptus.

Effectus hujus remedii eo constat, quod vermes, nominatim lumbricos et ascarides interficit et etiam expellit (contra taenias nondum tentatum est). Interficere vero videtur vermes principio illo quod anthelminthicum appellari possit et probabiliter in partibus aethereo-oleoso-resinosis positum est. Nunc etiam dijudicare possumus sententias diversas de partibus seminum cinae efficacibus supra, ubi de illius remedii effectu egimus, allatas, et eorum quidem sententiam qui principium oleum seminum cinae anthelminthicum ducunt, veriorem esse arbitramur, quam eorum, qui virtutem anthelminthicam in amaritudine positam arbitrantur, dicentes, eam tractu intestinorum roborando vermium generationem atque hac ratione vermes ipsos quoque delere; etenim, quamquam extracti aeth. amaritudinem denegare non possumus, quae omnino nequit a resina separari, multo vero minor est quam in seminibus cinae ipsis, ubi principio extractivo augetur, tamen extr. aeth. multo celerius, jam post unam vel duas doses, agit, quam ut amaritudo ipsi insita mutationem ejusmodi in tractu intestinorum provocare valeret quae causam generationis vermium et sic quoque vermes ipsos extingueret. Nihilominus vero aliquid virtutis

anthelminthicae summo jure amaritudini extracti aeth. adscribendum est, quia haec tum partem essentialem principii aeth.-oleoso-resinosi constituit, quod anthelminthicum esse cognovimus, tum motum peristalticum in tractus intestinalis strato musculari augens vermium interfectorum expulsionem producere videtur<sup>48)</sup>). Denique, cum de effectibus extr. hujus aeth. agamus, non est omitendum, illi probabiliter, ut seminibus cinae, esse facultatem tollendi incommoda nervosa quae cum vermis in connexu sint. Praecipue vero etiam commemoranda est egregia ejus efficacitas contra ascarides, adversus quos anthelminthica validissima aliaque medicamina saepe frustra adhibita sunt. Tanquam specificum vero nunc secundum plurium medicorum<sup>49)</sup> testimonia extr. hoc aeth. probatum est. Ex mea experientia id quidem dijudicare nequeo, cum hujus reme-

48) *Nota.* *Aliae quoque plantae amaritudine eximia praeditae viribus anthelminthicis pollent, nominatim ex Artemisiis, ut Art. abs. Non dum vero exploratum est, annon illae quoque principio aethereo-oleoso agant, quod iis etiam insitum sit, quamquam negari nequit, illas ut remedia tonica secundarie vermes extinguere valere sicut semina cinae quoque ut remedium simul amarum; in hoc tamen principium aeth.-oleoso-resinosum anthelminthicum jam primarie id efficit quod tonicoamarum secundarie demum producit, nisi forte statuere velimus amaritudinem anthelminthicam peculiararem; peculiaris vero haec amaritudo demum fit per elementum oleoso-resinosum.*

49) v. Hufeland Journal l. c. Rust Mgz. 35. 1.  
9. p. 50.

dii directe contra ascarides adhibendi occasio mihi non data sit, quamquam, ubi aduersus lumbrios propinabatur, in nonnullis casibus simul cum his magnam mortuorum ascaridum copiam evacuatam vidi.

Commoda vero quibus remedium nostrum gaudet, haec sunt: 1) Effectus ejus certus est; ubicunque vermes adesse constabat, emoti sunt. 2) Cito agit, una duaeve doses jam sufficient, et raro remedio laxante opus erat saltem nunquam drastico, neque aliis additamentis ad efficacitatem ejus augendam. 3) Vermes exturbat sine ullis molestiis vel effectibus secundariis nocentibus, quales producunt semina cinae, si nimiis dosibus vel justo diutius porriguntur. 4) Effectus ille certus, citus et innoxius non redimitur sapore admodum ingrato; e contrario pueri libenter illud assumunt, quia sapor dosis parvae facilius occultari potest atque etiam minus injucundus est, cum in hoc remedio substantia extractiva, seminibus cinae propria, itaque sapor iste asper et ingratus huic substantiae insitus, non addit. Sapor melior remedii, parvulis praecipue porrigendi, certe respiciendus est maxime, cum parvuli pulverem seminum cinae, quin etiam in electuario, maximo tantum cum taedio atque saepe omnino non assumere possint, conf. cinae contra et trochisci saporem quidem emendent et abscondant, sed etiam minus agant, ceterisque seminum cinae incommodis non careant. Ex iis quae modo de extr. aeth. effectu diximus, elucet, imprimis commendandum esse id ad vermes expellendos, casusque ubi in universum ver-

mium exturbatio indicata sit, hoc remedium etiam indicare (quare hic de indicationibus singularibus sermo esse non potest), — minus autem vel fortasse omnino non helminthias tollere, ad quod consilium exsequendam ut supra expositum est, alia remedia apta in usum vocantur; quod tamen non potest opprobrio duci remedio nostro, neque causa esse, cur aliis postponatur, cum etiam caetera remedia anthelminthica propria non simul adhiberi soleant tanquam remedia vermium causam tollentia.

Addenda erunt nonnulla de ratione extracti aeth. adhibendi ejusque dosibus. Dr. Schupmann, primus hoc remedio usus <sup>50</sup>), infantibus unum ad tres annos natis grana dabat unum ad tria, et prout provectionis jam erant aetatis, grana quatuor — quinque, adultis decem grana p. d. propinabat et semper optimo cum eventu. Alia remedia adjuvantia v. c. laxantię nunquam admiscebat ut certior fieret de efficacitate peculiari remedii sui. Granis j—jj—x cum 3j—jβ sacchari albi contritis, massam quandam formabat pilularem, quam cum aqua aut vino aegrotis dabat; etiam tinturam cum spiritu vini paratam adhibebat. „Der Kranke nimmt, inquit ille l. c., das Mittel Morgens nüchtern, trinkt darauf eine Tasse schwarzen Kaffee, bleibt dann bis Mittag ohne Speisen und nun wird ihm eine dünne Fleischbrühe oder andere Suppe gereicht; gegen Abend oder des Nachts, höchstens aber bis zum andern Morgen, gingen dann die Würmer ab.“

Dr. Billroth<sup>51)</sup> remedium nostrum contra ascarides adhibens duobus diebus deinceps mane aegrotis jejunis, et quidem adultis gr. viii extracti dabat ex quo cum pulv. seminum cinae pilulas formabat. Infantibus gr. viii vel JV matutino tempore cum syrupo simplici dari jubet. Omnes qui remedio hoc utebantur (affert quinque casus) postridie mane, nonnullis horis postquam remedium illud sumpserant peractis, permagnam ascaridum mortuorum copiam dejiciebant.

Nos cum in casibus mox afferendis, causis variis, de quibus infra agamus, moti, non eandem rationem semper sequi potuerimus, exactius de methodo nostra singulos casus tractantes, verba faciemus. Hic tantum de formulis dicam quae non mutabantur. Plurimis in casibus extractum in pharmacopolio Dorpatensi paratum in pulverem redegi cum sachari albi s. q. conterens antequam aegrotis darem medicamen. Grana jj — v pulverem constituebant si cum sacch. albi 3j — jβ — jj conterebantur. Hujus pulveris infantes unius vel quatuor annorum tantam acceperunt quantitatem, ut extracti aetherei aetatis annorum par granorum numerus pro dosi ingereretur; infantibus quinque ad decem annos natis grana v ad viii dabam. Pulvis hic fere omnino dulcis minime tantum saporem amarum, odorem vero aromaticum non ingratum praebens, a parvulis libenter sumebatur, uno excepto casu, ubi non remedii erat culpa sed aegroti. Alias sub forma pilularum illud adhibebam secundum formulam hanc: R. extr. sem. ci-

51) v. Rust Mgz. l. c.

nae aeth., pulv. sem. cinae ana $\beta\beta.$  m. f. m. p.  
ex qua form. pil. gr. jj, quas pilulas paucissi-  
mis in casibus tantum aegrotis meis parvulis  
inferre potui, ideoque, extracto ruri, ubi  
experimenta mea institui, jam absumto, pi-  
lulas conterendo cum saccharo in pulverem  
redactas porrigerere coactus sum, eadem in  
dosi quam supra memoravi et pulvere hoc,  
et pilulis utens. Tincturam etiam parari  
jussi, hanc formulam praescribens: R. extr.  
sem. cinae aeth. 3jj solve in spir. vini rectif.  
 $\beta\beta.$  Sumantur quavis vice 10 — 60 guttae,  
quam tincturam organismo infantili non  
convenientem, aegrotis adultis non mihi  
occurrentibus, nondum adhibui, efficacem  
tamen eam esse, historia morbi a Dr. Schup-  
manno (l. c.) narrata probat, in qua de ju-  
veni agitur septemdecim annos nato, qui  
unica granorum aliquot extracti in spir. vini  
solutorum dosi utens, ne diaetam quidem  
consuetam mutans, postero die mane com-  
plures lumbricos necatos deponebat.

Et nos remedium hoc non conjunximus  
cum aliis adjuvantibus, duobus casibus ex-  
ceptis, ubi infantibus corporis constitutione  
maxime torpidis, alvi segnitie laborantibus  
post binas extracti doses frustra porrectas,  
laxans lene dabam ex infusione rad. Rhei,  
fol. Sennae et tart. natronato compositum,  
quo adhibito lumbrici cum intestinorum con-  
tentis liquidis evacuabantur. — Ego quoque  
remedii hujus certam esse actionem, in quo-  
vis casu a me observato vidi; ubi vero non  
egit, non remedium sed alia momenta effec-  
tui adversa accusanda erant ut afferam.

Animum nunc in id convertentes, quod

in sectione hac exposuimus de effectu, efficacitate, adhibendi ratione etc. et seminum cinae et extracti eorum aeth., hisce virtutibus remedium nostrum cum seminibus ipsis comparatum videmus excellere: 1) agit jam per se tuto nec adjuvantibus opus est magis minusve nocentibus; in specie vero contra ascarides praecipue efficax est; 2) actio citior est; 3) jucundior est sensibus; 4) effectus etiam nullam actionem aliam adversam involvit; 5) agit jam in paucissimis et minimis dosibus; ex his sequitur denique 6) non tot contraindicationes ei obstare, quod seminibus cinae, quia nec per tantum temporis spatium nec cum additamentis saepe nō dentibus consunctum id adhibere cogimur, quaere infantibus debilibus et irritabilibus egregie convenit.

Liceat nunc mihi, dissertationem jam ad finem adducenti, observationes meas efferre. Res necessariae urgentes impediabant, quominus in iis instituendis sat longum tempus ad rem omni ex parte dilucidandam consumerem. Utinam priusquam hanc scriberem, constantiam effectus observare mihi contigisset! Judicium certum hac de re fereendum aliis relinquens, jure tamen contendere possum, aegrotos post usum medicaminis nostri magnopere levatos fuisse. Hinc quoque mihi indulgendum erit quod remedium nostrum tanquam vermes pellens tantum non vero tanquam remedium helminthias in tollens consideravi.

Experimenta mea non eodem sed diverso institui tempore, ut lunae mutationum vim in efficacitatem remedii perscrutarer. Ete-

nim anthelminthica plus agere luna decrescente, propter majorem ad vasa abdominis congestionem sanguinis contendunt (v. Richter l. c.); — elegi porro infantes variarum corporis constitutionum ut remedium nostrum tanquam specificum tentarem, qua ex causa variam diaetam etiam praescripsi et formam remedii variam adhibui ut eam invenirem cuius efficacitas ceteras superaret, — porrexideoque aegrotis nonnullis remedium hoc, qui jam antea aliis anthelminthicis usi erant, ut directo modo majorem anthelminthici nostri vim experirer.

Nasquam forsitan crebrius quam in infantibus gentis esthonicae occurrit helminthias et lumbri in specie, quorum procreationem certe maxime adjuvant victus tenuis concoctu difficillimus, domicilia humida, et aordidum vitae genus. Aptissimum ergo mihi videbatur, ad experimenta, quotquot brevissimo tempore poteram, instituenda, ut plures casus comparare possem, me rus conferre ubi e multis octo infantes rusticorum elegi et nosocomium constitui, ut secundum praeepta mea ibi curari possent, quae praeepta quantum ad medicamina pertinent, casus singulares describens, affram. Diaeta in omnibus casibus haec erat: postquam remedium jejuni adhuc sumpserant aegroti, juscum edebant liquidum ex hordeo, decorticato cum aqua coctum. Dr. Schupmanni praeepta ea ex causa non sectus sum, quia infusum coffeae nigri propria saporem insolitum et novum coloremque nigrum infantibus pertinacibus nullo modo inferre potui. Ceterum ne incitamento ma-

jori et insolito effectus turbaretur non nisi victum consuetum admittere decrevi. Meridie tum jusculum carnis edebant. Afferendum est, lunam eo tempore quo experientia haec institui, plenam vix factam esse; omnia die XVI mens. Oct. anni MDCCCXXXIII incepi.

**O**bservatio prima. F., puer annos sex natus, temperamento maxime phlegmatico, facie tumida, oculis ravis, capillis flavis, pupilla dilatata, abdomine inflato et duro, appetitu irregulari, saepissime obstructione alvi, torminibus, ptyalismo nocturno, et tussi vexabatur, quae symptomata ut parentes dixerunt, luna nova praecipue increscere solebant. Tussis mihi cum affectione morbosa abdominis nexus causalem alere videbatur; in thorace enim ipso nulla fere incommoda aderant, causaeque externae in organa thoracis agentes v. c. aér profunde inspiratus, motusque varii etsitus nullius erant effectus nocentis; saepius vero nausea et vomiturbationibus laborabat, sputaque si ejaculabantur nonnunquam, pituitosae et tenuis simul erant indolis; sonus tussis profundus. Aliis morbis a cunabulis usque ad hoc tempus nunquam laboraverat. Vermes non adhuc visi. Propinabam aegroto die nominato extracti aeth. gr. vii cum sacch. albi s. q. in pulverem redacti in aqua.

Postridie mane nondum ulli vermes depositi erant, ideoque eandem dosin iteravi; — nocte sequente lumbrici sex sine molestia evacuabantur; — maneque quatuor alii.

**O**bs. secunda. J., puer decem annos natus, oculis coeruleis, pupillis dilatatis,

capillis flavis, corporis structura gracili, temperamento mobili, saepius ciborum appetentia irregulari, doloribus alvi et capitis cum diarrhoea laborans, annis duobus praeteritis febri intermittente vernali affectus fuerat. Abhinc semestri frustra ei dabant doses aliquot seminum cinae. Propinabam ei eodem die gr. vjjj extr. aeth. cum saccharo; — dosin hanc die sequente repetivi, nullum vero eventum impetravi, et assumere licet, functiones abdominis turbatas fuisse febris intermittentis sequelis vel aliis causis potius quam vermibus, quos nemo adhuc aegrotum evacuisse viderat, sed ex constitutione endemica et symptomatibus nonnullis eos adesse suspicabar.

Obs. tertia. P. puer annos quatuor natus, capillis colore stramineo, oculis coeruleis circulis lividis circumdati, habitu inflato et facie tumida, ventre elato, fere semper appetentia ciborum irregulari, obstructione et doloribus alvi laborabat; increverunt haec symptomata quavis luna nova. Doses aliquot seminum cinae ante menses tres adhibitae nullos elicuerunt vermes. Dabam ei gr. jv remedii nostri cum saccharo, et postridie mane effectu nondum apparente, alteram dosin talem; tum duos deponebat lumbricos cum faecibus duris et parcis; post meridiem laxante adhuc usus sex lumbricos evacuabat.

Obs. quarta. J. puer tres annos natus, constitutione corporis robusta, oculis coeruleis, capillis subflavis, saepius affectus erat torminibus, quae cum invaderent, ptyalismo simul sonnoque inquieto vexabatur,

et nares digitis terebrabat; praeterea tussi etiam cruciabatur ei quan*i* sub obs. prima descripsi, simili. Vermes ad hoc tempus nondum observati erant. Eodem, quo gr. ijj extr. aeth. ei dabam, die, diarrhoea et doloribus alvi cruciabatur. Postridie mane quatuor vermes cum sede diarrhoica deponebat,— et quamvis dosi non reiterata, vespere septem adhuc glomere convolutos. Die sequente neque diarrhoea neque tormina aderant.

Obs. quinta. A. soror ejus gemina, simili modo affecta erat, alacriore tantum temperamento, oculis et capillis fuscis. Remedio bis adhibito lumbrici sex evacuabantur. Diarrhoea, qua laboraverat quum medicamen ei propinarem, per diem adhuc durabat, tum vero evanescebat.

Obs. sexta. J. puer annos. quatuor natus, oculis ravis, pupillis dilatatis, capillis subflavis, temperamento alaci, abdomine inflato, saepissimi doloribus alvi, ptyalismo nocturno, somno inquieto, luna nova praesertim laborans, jam prius vermes ediderat, — anno praeterito vero frustra ei sem. cinae in substantia dabant. Nunc extracti nostri dosi unica usus, quatuor lumbricos deponebat cum faecibus consuetae consistentiae et cum copia magna ascaridum. Adhuc de doloribus alvi querenti alteram dabam dosem, quam alvi dejectio sex lumbricos et glomus magnum ascaridum continens sequebatur. Tum alacer et nullis doloribus vexatus visus est.

Obs. septima. L. puella septem annorum, oculis coeruleis, capillis flavis, cor-

poris structura gracili, somno inquieto, torminibus, ptyalismo nocturno, nausea, appetitu irregulari laborans jam anno praeterito vermes evacuaverat; gr. iv extracti nostri cum saccharo ei bis propinabam, tamen pertinacitas et clamores ejus impediebat quominus plus quam dimidiam partem ei inferre possem. Nullum etiam eventum animadvertebam.

Obs. octava. E. puer sextum vitae annum agens, oculis fuscis circulis lividis circumdati, capillisque ejusdem coloris, pupillis dilatatis, facie pallida tenera, ventre paululum inflato praeditus,—saepius, et quidem luna nova maxime, torminibus, ptyalismo nocturno, tussi et dolore capitinis vexatus jam prius vermes deposuerat. Nunc remedio nostro usus lumbricos decem et copiam magnam ascaridum necatorum evacuabat.

In omnibus his casibus evacuatio vermium nullis molestiis conjuncta erat.

Aliam experimentorum seriem alio praedio atque alio tempore institui, luna decrescente, die 26 Oct. anni 1833 incipiens et quidem infantes eligens qui nutrimentis et domiciliis jam melioribus adsueverant; diaetam in casibus tribus primum afferendis secundum praecepta Dr. Schupmanni institui,—in ceteris vero eandem quam in modo allati.

Obs. nona. L. puella octavum agens annum, oculis coeruleis hilaribus, pupillis dilatatis, capillis subfuscis, constitutione robusta, abdomen paululum inflato, doloribus alvi et ardentissima fame nonnunquam vexabatur et inquietis sonniis; post secundum hujusmodi insultum 2—3 lumbricos

evacuaverat, — ultimus paroxysmus mense Augusto invaserat. Pilulis gr. vij extr. aeth. continentibus adhibitis eodem die decem lumbricos necatos deponebat.

Obs. decima. L. St. puellula annos octo nata, oculis ravis, capillis flavis, colore faciei pallido et constitutione phlegmatica praedita, ptyalismo nocturno, doloribus alvi et capitis coenae praecipue initio intrantibus, laborans, in somno haud raro repente excitabatur dentibusque fremebat; anno abhinc secundo vermes dejecti erant; mense Sept. vero sem. cinae forma electuarii ei propinata nil egerant. Pilulis grana vij remedii nostri continentibus bis usa, lumbricos duodecim deponebat sine molestiis.

Obs. undecima. S. St., quinque annos nata, soror modo memoratae, simili constitutione corporisque habitu, de iisdem fere molestiis querebatur; vermes nondum dejecti. Extracto jam consumto, pilulas quas infans deglutire non poterat cum saccharo contritas ei dabam, eodemque jam die lumbrici plures evacuabantur.

Obs. duodec. G. St. puer annorum trium, frater illarum, temperamento et constitutione corporis phlegmaticis, facie tumida, ventre inaequali modo inflato, — alvi obstructionibus, ptyalismo, somno inquieto in quo ex more ventri incumbebat, laborans, jam prius lumbricos dejecerat. Propinabam ei pilularum cum sacch. contritarum doses duas granorum iv; alvo vero tertio etiam die adhuc obstructa, laxans adhibui, quo facto lumbrici sex mortui cum aliis intestinorum contentis dejiciebantur.

Obs. tertia decima. F. R. puer

quinque annorum, oculis coeruleis retractis, circulis lividis circumdati, capillis subfuscis, constitutione corporis mobili, colore pallido tenerae faciei, minus de alvi affectionibus querebatur, quam de somno inquieto, noctambulationibus et loquendo ~~et~~ interrupto; rogante vero matre ejus, quae vermes causam esse suspicabatur, dabam puero duas doses, tertioque die remedium laxans, sed sine ullo eventu.

Obs. quarta decima. S. puero quatuor annos nato, oculis coeruleis, capillis flavis, constitutione corporis phlegmatica, temperamento tardo moroso, facie pallida, ventre inaequaliter inflato, — torminibus modo cruciato, modo flatulentia cum obstructione alvi, modo diarrhoeis, ptyalismo nocturno et appetentia ciborum irregulari vexato, mense Septembri sem. cinae dabant parentes sed sine eventu. Post doses duas remedii nostri complures lumbrici evacuantur.

Ex experimentis modo allatis, et hisce quidem ex casibus haec sequi mihi videntur: 1) remedii nostri efficacitatem non e lunae mutationibus pendere; 2) pro constitutione corporis magis phlegmatica et torpida plures doses etiam expostulantur, et nonnunquam etiam laxantia lenia; 3) nec forma sub qua extractum adhibebatur, nec diaeta effectum variare yidebatur; 4) agit etiam remedium nostrum in casibus ubi semina cinae plane non egerunt, attamen non tam certum hoc habere volo, quia sem. cinae in casibus allatis ab hominibus artis non peritis adhibebantur.

---